Quelle: https://manuscripta.at/?ID=892
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ad pacem quia secundum Tullium in libro de officiis bella suscipiuntur ut sine iniuria in pace vivatur et Augustinus ad Bonifacium Pax non queritur ut bellum exerceatur sed bellum geritur ut pax acquiratur esto ergo bellando pacificus ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas et in xviii de civitate dei tantum est bonum pacis ut quod in terrenis rebus atque mortalibus nichil gratius soleat amari nichil desiderabilius concupisci nichil postremo possit melius inveniri quisquis enim res humanas naturamque communem intuetur agnoscit quod sicut nemo est qui gaudere nolit ita nemo est qui pacem habere nolit quando ipsi qui bella volunt nichil aliud quam vincere volunt ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire nam quid est aliud victoria nisi subiectio repugnancium quod cum factum fuerit pax erit pacis ergo intencione geruntur bella et ab hiis qui virtutem bellicam student exercere imperando atque pugnando Unde constat pacem belli esse optabilem finem nam illi qui pacem in qua sunt perturbari volunt non pacem oderunt sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari non ut sit pax volunt sed ut ea sit quam volunt Hec igitur pax ad quam tendit omnis belligeracio erit amplius et laboribus tranquilla quietacio Sicut ad David dicitur i Paralipomenon xxii Filius qui nascetur tibi erit vir quietissimus faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum et ob hanc causam pacificus vocabitur et pacem et ocium dabo in Israel cunctis diebus eius Hinc eciam Ecclesiastici xlvii dicitur Salomon imperavit in diebus pacis cui subiecit deus omnes hostes

Circa tempus dominice nativitatis mundus tanta pace floruit temporali sub Augusto ut scribitur in historiis Romanorum ut secundum Bedam illud Ysaie ii ad literam videatur impletum conflabunt gladios suos in vomeres et lanceas in falces que quidem pax dominice incarnacioni et apostolice predicacioni famulabatur ut sub proteccione et umbra Romani nominis incedentes ubicumque competeret vel liberet

In gestis Francorum de Karolo magno scribitur quod fuit princeps christianissimus deum timens mandata eius custodiens ecclesiasticis sanctionibus devotissime parens in elemosinis oracionibus et psalmorum melodiis indesinenter deditus laudibus dei infatigabiliter Nota